



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Fasti Mariani

Brunner, Andreas

Antverpiæ, M.D.C XXX III.

S. Alexivs Conf. 17. Iulii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

sed faciente patricium culeo. Sed quis Innocentiam mergeret? Emerfit, more suo; & coelum ingratis Civibus aquas & cum his segetem negavit, dum VITALIANVM revocarent. Unà igitur VITALIANVS & imber è cœlo missi exceptique. Sed ille non fidens honoribus, DEIPARÆ Templum struxit, vivensque in hoc privatus Invidiam sub VIRGINIS pallio impunè jam risit. *Ex Ferrario.*

S. ALEXIVS CONF.

17. Julii.

Theatrum est Orbis, in quo sapiùs malè multi divitem, sed bene pauperem egit ALEXIVS. Patrem Romæ habuit Euphemianum senatorii Ordinis, Sponsam Regii sanguinis. Sed quâ nocte Hymenæus pedem thalamo inferbat, sponsum non reperit. Nempe noctis beneficio elapsus Edessam aufugit, ibique inter mendicabula tam diu latuit, dum ab effigie DEIPARÆ, ad cuius templum assiduus excubabat, est proditus. Tunc Romam rediit, & (quis credat?) in patriâ domo feliciùs personam dissimulavit. Hic cum è tantâ hereditate vix ultimum angulum ædium impetrasset, risit scilicet, cum domi se agentem quæri in alieno orbe videret, cum parentes se orbos, sponsa viduam se lamentarentur, cum utrique præsentem

tem

tem inclamarent, vivum lugerent. Spectabat interim siccus suorum lacrimas, vivus suas exequias; appellabat patrem matremque, nec filius audiebat; basibat servorum suorum manus & ab his servilia multa patiebatur, jam pugnis contusus, jam sordibus perfusus. Sed demum mors siparium reduxit. Vox etenim humanâ major Romanum & Pont. & Imp. ad demortuum excivit. Ibi ALEXIVM prodiderunt vultus astro similis & literæ in manibus reptæ, quibus ipse fabulæ totius argumentum descripserat. Et placuisse fabulam Cælum ostendit, cum miraculis applausit, toties plausus repetiturum, quoties fabulam juventus. *Ex Metaphor.*

S. SYMPHOROSA CVM
VII. FF. MM. 18. *Italii.*

Reliquit Getulius M. post se conjugem SYMPHOROSAM & VII. filios. Bonum factum! è tantâ familiâ neminē reperias degenerem. Scires illam Martyris uxorem, hos filios esse, qui sanguine tincta parentis vestigia fortiter insisterent. Ergo Adriano Imp. sistitur animosa cohors; & ecce mater ducit. Blanditiis, minis, tormentis omnibus pugnatur. Sed vincunt in filiis mater, in matre filii, dum ante oculos patris volat memoria, & Martem ejus, quem fundi viderant, sanguis accendit.
Cum